

De D. FERRAN VALLS Y TAVERNER (*ingresó en 30 de mayo de 1920*).

UN TEXT REFERÈNT AL PROCÉS DE TREVA TRENCADA

Com a contribució al homenatge a la nostra Acadèmia en el seu segon centenari, aporto aquí un text inèdit, copiat del *Llibre vert* del Arxiu municipal de Barcelona (f. 68).^{*} Aquest text, referent al procés de treva trencada, presenta cert interès en relació a la nostra història jurídica; per aquest motiu m'ha semblat útil la seva publicació, àdhuc sense acompanyament de comentaris.

«Modus procedendi contra pacem et treugam frangentes.

Debetis sic procedere pro pace et treuga. Quod ex quo vobis querimonia proposita fuerit pro pace et treuga fractis debetis ad querelatoris instanciam semel monere per vestram litteram eum qui dictarum constitutionum dicitur violator ut infra xv. dies a receptione littere dampnum quod dicitur esse datum querelatori esmendet vel secum pro eo componat aut personaliter veniat coram vobis et firmet cum pignoribus tenentibus quod iuri pareat super eo. Et si infra ipsos xv. dies noluerit dampnum esmendare predictum vel alias cum querelatore non composuerit vel personaliter non comparuerit aut firmaverit ut est dictum ex tunc absque aliqua certificatione vel cognitione per solam contumaciam debetis contra predictum sic monitum procedere, videlicet ad publicandum voce preconia ipsum cum suis complicitibus, fautoribus, adiutoribus et consulatoribus fore a pace et treuga separatum et eiectum cum omnibus bonis suis; et ad distringendum et malum inferendum eis et bonis eorum viriliter et potenter. Set quo ad satisfacionem faciendam parti super dampno dato et ad exigendum penam dupli, quia satis ex predictis contumacia est punita, debetis aliquam summariam certificationem habere; qua habita, de dampno illato ex probabilibus presumpcionibus in odium eius qui pacem et treugam dicitur violasse, videlicet attempta citati contumacia et fuga et fama, cum aliis presumpcionibus et circumstanciis ex quibus plena si fieri potest vel minor probacio inducatur pro personarum et negocii qualitate, prout bonus iudex duxerit arbitrandum in taxatione etiam debetis ad ipsorum simpli et dupli exactionem procedere

^{*} Aquest text està també contingut en el *Llibre de Ramon Ferrer* (f. 56), del mateix Arxiu Municipal de Barcelona.

cum aliis peccuniariis penis appositis in constitutionibus memoratis. Si vero predictus citatus ubi dampnum voluerit emendare vel super eo cum querelatore componere infra iamdictos xv. dies comparuerit personaliter et cum pignoribus tenentibus firmaverit ut est dictum, tunc lite breviter et de plano sua, id est suo cursu in arte concurrente, si apparuerit illum de quo fuit querimonia facta violatorem esse datum cum duplo dividendo per medium ut cavetur in constitutionibus sepedictis, quia ex sola violacione predictum duplum debetur non ex contumacia, ut indicant verba constitutionum ipsarum.

Hoc adiecto quod si universitas sit citata pro pace et treuga, cum asseratur universitatem ipsam pulsata campana vel eo modo quo consuevit exisse quando dampnum intulit de quo fit querimonia, de tota universitate non exigatur nisi unum duplum, quia unam que delinquit personam solummodo representat.

Hoc tenendum est in usu processus pacis et treuge sicut ex verbis et mente constitutionis colligitur, et sic est usitatum ut nobis constituit.»